3

DE

FAVORE COMMERCIORVM

LIBER PRIMVS

QVEM

AVCTORIT. ILL. ICTOR. COLLEG.

IPS. KALEND. OCTOBR. CIↃIↃCCL.

PRO

OBTINENDO DOCTORIS GRADV


DEFENDET

CHRISTIANVS GOTTHELF GVTSCHMID.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.





PRAEFATIO.



Fauere iura commerciis et par eſſe vt iis faueant expedita, ipſisque artis noſtrae tironibus notiſſima res eſt. Nec deſunt qui priuilegia aut ſi mauis iura ſingularia fauore commerciorum mercatoribus et mercaturae conceſſa, vel congeſſerunt in timendae molis volumina, vel percenſuerunt diſputationibus academicis. Quorum laborioſa induſtria, ſi hanc iurisprudentiae partem, et illuſtratam egregie et gnauiter obſcuratam, ingenue dixero, ſententiam meam aequis et peritis rei arbitris, probatum iri, ſcio, non opinor. Pauci ſunt, quorum labor ingenio diſtinguitur. At plerisque accidit, quod accidere ſolet hominibus, qui in litterarum ſtudiis, labori primas, ingenio vltimas tribuunt partes. Copia ſcilicet ad inopiam rediguntur, et quum in augendo concluſionum numero, in conſtipandis affinibus et contrariis, in denſandis denique eorum, qui conſentiunt aut diſſentiunt cateruis, verboſi ſint et moleſte ſeduli: ſolet eos deficere ingenii vis et acies in ponendis aequi ac boni prin-

cipiis, in conneſtendis rerum cauſſis ac conſequutionibus. Non inueſtigant curatius, quae ſit commerciorum natura, quae formae, quae partes, qui cum ſalute reipublicae nexus; quae ſint porro fauoris quem respublica commerciis debet cauſſae, qui limites, quid in publico priuatoque iure efficiat. Non docent accurate et perſpicue, quibus iuris naturae et gentium legibus, quibus prudentiae ciuilis praeceptis, omnis haec innitatur doctrina, et qua porro ratione cohaereant, in quem adducenda ſint ordinem, iura ſcripta et conſuetudines, quae ex Iure Graeco, Romano, Byzantino, Canonico, aliarum denique gentium et legibus et moribus, in iurisprudentiam confluxerunt mercatoriam. Non eo haec ſcribo conſilio, vt detraham aliquid inuidioſe et diminuam de meritis laudibus STRACCHAE, MOLINAEI, HEVIAE, MARQVARDI, et aliorum, qui praeclaram iuri commerciorum nauarunt operam, ſed vt oſtendam, in argumento, quod nouitatis gratiam exuit et cuius a multis occupata videtur poſſeſſio, ſupereſſe nihilo minus noui laboris materiam. Quum ergo per rerum mearum rationes, ad perueſtiganda diligentius commerciorum iura compellar; quae de eorum fauore meditatus ſum, peritiorum examini ſubmittere mecum conſtitui, vt aequo illorum iudicio, confirmentur recte dicta, deleantur praua, emendentur quae lima indigent. In id aciem intendi praecipue, vt bene prouiſa ac diligenter explorata ponerem principia, et naturae ac gentium iura prudentiaeque ciuilis praecepta cum legibus ſcriptis et moribus mercatoriis ſollicite componerem. Quo conſilio iunxi meditationi, ſcriptores, qui iuuare poſſent meditantem, quos quidem in quatuor claſſes commode diuidi exiſtimo. Primae ipſos adſcripſi mercatores, qui negotiationis naturam, partes, opportunitates, ſubſidia, impedimenta etiam, ſcribendo explanarunt. Hi enim tedas praeferunt illis, qui certo iudicio leges commerciis accommodare cupiunt. *) In alteram eos

retuli,

retuli, qui ex prudentiae ciuilis regulis, docuerunt quo, ciuitatis et legum fauore, quibusque subsidiis effici possit, vt floreant commercia et reipublicae sint salutaria. **) Tertia, scriptores complectitur, qui iura commerciorum et mercatorum, iustis voluminibus aut disputationibus academicis explicare instituerunt. ***) Quarta denique eorum vtilissimos labores comprehendit, qui antiquitates et historiam commerciorum scripserunt ita, vt inde aut iuuandae mercaturae peti possint consilia, aut iura commerciorum illustrari. ****) Taceo eos qui suis de his rebus obseruationibus alia distinxerunt opera.

His adiuta subsidiis meditatio, eam mihi praebuit materiae copiam, vt in tres illam libros distribuere necessum fuerit.

PRIMO igitur de commerciorum fauore generatim exponam, positisque principiis, illius caussas, limites, et quid in vniuersum efficiat, explanabo.

ALTERO, quid efficiat in negotiis reipublicae externis,

TERTIO, quid in domesticis, enarrabo speciatim.

Do in praesenti primum, daturus reliquos propediem, si volet Deus et si primum, harum rerum peritis non displicuisse intellexero.

*) Primum in his locum suo iure obtinet IACOBVS SAVARY vir de re mercatoria [illegible] optime [illegible]. Eius industriae et repetitis filii IACOBI SAVARY DESBRVSLONS curis, debemus librum egregium, *Le parfait negociant ou Instruction générale pour ce qui regarde le commerce*, cuius octaua editio Amstelaedami prodiit CIↃIↃCCXXVI. porro *Pareres ou Avis et Conseils pour le Commerce*, quod volumen iungi solet priori; denique *Le Dictionnaire de Commerce, contenant tout ce qui concerne le Commerce dans les quatre parties du monde*, vtilissimum opus et summis dignum laudibus: elegantia reliquas superat editio Parisiensis tribus [illegible] forma maiore Voluminibus CIↃIↃCCXLI. Succedunt his duumuiris RICARDI, pater et filius. Scripsit enim SAMVEL RICARDVS *Traité général*,

néral du Commerce, quem librum perutilem, ad noscendas inprimis mensurarum, ponderum et nummorum proportiones, auctiorem edidit STRVYCKIVS Amstelaedami CIƆ IƆ CCXXXII. Idem SAMVEL RICARDVS scripsit *L'art de bien tenir les livres de comptes en parties doubles à l'Italienne, avec une table alphabethique de l'Explication des termes, qui sont le plus en usage dans le commerce;* necessarium opus ad intelligendos et examinandos mercatorum codices, auctius edidit filius IOANNES PETRVS RICARDVS Amstelaedami CIƆ IƆ CCXXIV. Addendus ex Italis, Il Negoziante di DOMENICO PERI Venez. CIƆ IƆC LXXXII. ex Germanis GODOFREDI CHRISTIANI BOHNII wohlerfahrner Kaufmann. Recus. Hamburgi CIƆ IƆCC L.

**) In his eminent quatuor scriptores recentiores, qui acri iudicio, politicam vti appellari solet commerciorum doctrinam, illustrarunt egregie. IOANNIS LAWII Viri ad summa nati *Considerations sur le Commerce et sur l'Argent*, oblatae Supremo Scotiae Senatui anglice, quarum gallica versio edita est Hagae Comitum CIƆ IƆ CCX. Dignus est iste libellus magno LAWII ingenio, nec alienus a consiliis quae secutus est ipse, de quibus aliter existimant rerum intelligentes, aliter vulgus. Porro MELONII *Essai politique sur le Commerce;* quod vti id modeste vocat tentamen, auctius prodiit Amstelaedami CIƆ IƆ CCXLII. Iudicium MELONII acre et certum, rerum quae ad commercia pertinent, omniumque reipublicae vtilitatum cognitio accurata et ipso firmata vsu, amor denique humani generis et publicae felicitatis cura, id huic libro constituunt pretium, vt in optimis habendus sit merito et vtilissimis. Iungendus MELONIO, in illis praesertim, quae ad curam monetae et pecuniae permutationem spectant, qui subtilius ista rimatur Auctor *Des Reflexions Politiques sur les Finances et le Commerce.* Tom. I. II. Hagae CIƆ IƆ CCXL, qui DVTOT esse dicitur. Venio denique ad immortale et aeternum opus Illustris Praesidis de MONTESQVIOU, L'ESPRIT DES LOIX, nunquam de manibus deponendum, illis, qui in arte aequi et boni audent vltra vulgus sapere. Eius vero Liber XX. agit *Des Loix dans le rapport, qu'elles ont avec le Commerce consideré dans sa nature et ses distinctions,* et Liber XXI. *Des Loix dans le rapport qu'elles ont avec le Commerce, consideré dans les révolutions qu'il a euës dans le monde.* Multa etiam vtilia continent IOANNIS IOACHIMI BECCHERI et PAVLLI IACOBI MARPERGERI de hoc argumento scriptiones, licet in iis desideretur ordo et cura. Addi ex Dissertationibus politicis meretur, HERMANNI CONRINGII de Commerciis et Mercatura Helmstad. CIƆ IƆC LXVI. et ANDREAE GROENWALL de Commerciis. Vpsaliae CIƆ IƆCC XXVII.

***) Longus esset labor et haberet taedii multum, vtilitatis parum, si per-

ſi percenſere vellem pleroſque tantum de Commerciorum Iure libros et diſputationes. Legi poſſunt in Bibliotheca Iuris LIPENIC-IENICHIANA eiusque Supplementis, ſi euoluas titulos, Commercium, Mercatura, Mercator, Contractus Mercatorum. Eminent in illis STRACCHA, MOLINAEVS, SCACCIAS, MARQVARDVS, ANSALDVS, CASAREGGIO. Addi meretur IOANNIS DE HEVIA BOLANI Labyrinthus commercii terreſtris et naualis, qui ex Hiſpano idiomate in latinum verſus prodiit Florentiae CIↃ IↃCCII. In cauſſis Commerciorum quae ad ius gentium ſpectant, palmam paucis quos ea de re habemus ſcriptoribus praeripiunt, Viri Illuſtris IO. IACOBI MASCOVII, Diſputatio de Foederibus Commerciorum, Lipſiae CIↃIↃCCXXXV. HEINECCIANA, de Iure Principis circa Commerciorum libertatem tuendam, Halae CIↃIↃCCXXXVIII. et Liberi Baronis BACHOFFII AB ECHT de eo quod iuſtum eſt circa commercia inter gentes, ac praecipue de Origine et Iuſtitia Societatum mercatoriarum maiorum, Ienae CIↃIↃCCXXX. ad diſceptandum propoſita. Addendum ex ABBATIS MABLYI *Droit public de l'Europe*, Caput XI. quod in eleganti libro eſt omnino elegantiſſimum.

****) Primo rurſus loco nominandi ſunt duo libri gallici egregii illi et perquam vtiles, nimirum PETRI DANIELIS HVETII *Hiſtoire du Commerce et de la Navigation des anciens:* et *L'Eſſai ſur la Marine et ſur le Commerce par Mr.* * * * (DESLANDES) *avec des remarques hiſtoriques et critiques de l'auteur.* Amſtelaedami CIↃIↃCCXLIII. Prodiit etiam Pariſiis duobus Voluminibus, *Hiſtoire generale de la Marine, contenant ſon origine chez tous les Peuples du Monde, ſes progrès, ſon etat actuel, et les expeditions maritimes anciennes et modernes* CIↃIↃCCXLIV. magnum opus et ſplendidum, ſed ſpectat praecipue ad rem militarem, proinde optamus vt edatur, *L'Hiſtoire de la marine politique*, quam in praefatione promittunt auctores. Vir ampliſſimus IACOBVS HENRICVS BORNIVS de iure ſtapulae et nundinarum Ciuitatis Lipſienſis ſcripſit Diſſertationes binas, quarum ſecunda editio auctior prodiit Lipſiae CIↃIↃCCXXXIX. Praemiſit vir doctiſſimus Diſſertationi primae §. II - VIII. obſeruationes de praeſidiis et incrementis commerciorum apud Graecos, Romanos et Germanos, breues illas quidem, ſed hauſtas a fontibus. Faciunt praeterea ad Romanorum mercaturam et commercia rectius cognoſcenda IOSEPHI AVERANII Interpretationum iuris libri ſecundi caput XIII. IO. AVG. ERNESTI humanitatis et elegantioris doctrinae ſtatoris, Libellus de Negotiatoribus Romanis Lipſ. CIↃIↃCCXXXVII. et Viri Conſultiſſimi IO. GOTFR. SIEBERI binae diſſertationes de Argentariis. Lipſ. CIↃIↃCCXXXVII. et CIↃIↃCCXXXIX. editae.

LIBER

* *

LIBER PRIMVS.

I.

Ineſt hominum cuique inſita quaedam vel potius innata et viuendi et bene beateque viuendi cupiditas: habent quoque ſinguli quasdam mentis ac corporis vires, aptas illas et habiles, ad vitam conſeruandam et ad paranda ea, quae illi feliciter tranſigendae inſeruiunt. Is ergo omnibus a natura Deoque naturae auctore et artifice propoſitus intelligitur finis. Quumque fines neceſſitate quadam cum illis rebus cohaereant, ſine quibus obtineri nequeunt; colligimus, data eſſe ſingulis hominibus ea iura, impoſitas eas leges, ſine quibus finis ille omnibus communis obtineri nequit. Datum ſcilicet omnibus ius, viribus ſuis ad vitam conſeruandam et feliciter agendam, vtendi: impoſita ſingulis neceſſitas, non laedendi ius quod aliis natura dedit aut ſibi ipſi quaeſiuerunt: tributum denique vniuerſis ius cogendi alios, vt a laedendo abſtineant et damnum iniuria datum reparent. Eſt igitur, vt rem omnem vna complectar formula, eſt cuiuis homini ius, ſaluti ſuae, omni qua poteſt ratione conſulendi, modo a laedendo aliorum iure abſtineat.

II.

Hominum vero genus ita factum eſt, vt homini homo plurimum et obeſſe poſſit et prodeſſe, nemoque tranquille, nemo beate viuere queat, niſi alii et a nocendo abſtinere cogantur, et ad auxiliatricem beneuolamque opem ferendam inuitentur; quum ſint praeſertim permulti ad nocendum proniores quam ad ferendam opem. Natura ergo ſpe metuque homines, ad voluntates et vires communis vtilitatis cauſſa conſociandas, impulit. Nata inde coniugum, nata parentum et liberorum, nata denique eorum coniunctio, quos communis naſcendi ſors, aut in domo ſimul viuendi pactio, in fami-

familias congregauit. Aucto deinceps familiarum numero, necessitas et vtilitas suasit, vt plures familiae voluntates et vires ad vim propellendam et mutua commoda prouehenda sociarent. Quumque illae plurium familiarum consociationes finibus hisce obtinendis minus sufficerent, nisi certo et vno imperio singulorum voluntates et vires ad communem dirigerentur salutem, enatae sunt Ciuitates, Respublicae, Populi, Gentes. Quo enim cunque nomine ciuitatem appelles, erit semper, coetus hominum et familiarum, sub vno eoque summo imperio, communis salutis causa, sociatus.

III.

Quum igitur communis salutis caussa in ciuitates coierint et ciuili imperio subiecti viuant homines, ex ipsa consociationis lege consequitur, imperantes aeque ac ciues, ad omnia ea agenda obstrictos esse, sine quibus salus communis obtineri nequit; porro, ad omittenda ea, quae cum salute communi pugnant; denique si quando commoda priuata publicis aduersari contigerit, ad anteponenda priuatis publica. EST ERGO SALVS POPVLI SVPREMA CIVITATIS LEX. *) Salus illa duas habet partes; primam, vt ciuitas omnesque ciues, a vi externa et interna securi, tranquille viuere et suis vti possint rebus; alteram, vt ne indigeant, sed abundent potius, iis quae ad vitae necessitates et vtilitates pertinent. Eo ergo redit omne imperantium ius, omne quod iuri cohaeret officium, vt cuncta ciuitatis ciuiumque negotia et publica et priuata, ita regant, ita ordinent, vt communis a vi externa et interna securitas, communis rerum necessariarum et vtilium abundantia, quoad fieri potest, et conseruetur et augeatur. Nec alius huic salutis publicae studio a naturae lege praescribitur limes, nisi vt abstineatur a laedendo aliorum iure. Est scilicet ciuitati, vti hominibus singulis, ius saluti suae omni qua potest ratione consulendi, dummodo a laedendo aliorum iure abstineat.

*) Scite CICERO de Leg. III, 3. quum de consulibus edixisset, conceptis verbis addit OLLIS SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO. Hausit praeceptum ab aeternae legis fontibus, non ex prisca illa, quam tulerunt Decemuiri, iussit Populus Romanus. Laudat, quam proposuimus, regulam, sed simul de prauo eius vsu, in illis praesertim rebus, quae ad commercia pertinent, amaram addit querimoniam, MELONIVS Cap XX. p. 287. *Le salut du Peuple doit être la Loi suprême. Maxime fondamentale de tous les Gouvernemens, mais dont tous les Gouvernemens ont abusé. Ils s'en sont servis pour couvrir l'ignorance ou les passions. De-là des attentats, des proscriptions, des violemens de la foi publique. Avant que d'avoir récours à cette Loi terrible qui detruit toutes les autres, il faut une evidence morale, qu'il n'y a point d'autres ressources. Ce seroit une histoire bien interessante et bien utile, que celle des malheurs causés par l'imprudente ou la fausse application de cette Maxime. On a osé l'employer dans la partie de Finance attachée au Commerce, préferablement à cent autres expédiens plus faciles et plus avantageux.* Recte et ex vero. At non sunt scelera illa, nefanda sane, regulae imputanda, sed artibus malorum administris. Abhorrent ab his boni omnes, et satis, vt opinor, ea damnaui flagitia, dum supremam publicae salutis curam, et ex veris deriuaui fontibus et definiendo explanatae, eos circumdedi cancellos, extra quos eam non sinit egredi lex aeterna.

IIII.

Iuris communione continetur ciuitas. Id vero duplex est. Publicum alterum, alterum priuatum. Prius totius reipublicae, posterius singulorum commoda, proxime sibi habet proposita. Publicum in externum et internum apte, vt existimo, partimur. Externum, publica totius ciuitatis cum aliis ciuitatibus negotia, rationis lege et gentium pactis regit. Internum Reipublicae formam et administrationem ex legum et pactionum praescripto ordinat. Illud ad ius publicum gentium pertinet, hoc fere intelligere solemus, quum de iure publico, nulla alia voce addita, loquimur. Constituta publico iure respublica, singulorum ciuium vtilitati prospicit iure priuato. Quum vero sit salus publica, suprema ciuitatis lex; omne et publicum et priuatum ius, quod ab eius pendet arbitrio, ad salutem populi est referendum, ita scilicet vt consentiat cum sempiterno et vniuersali naturae iure, et eius leges ea ratione suppleat, atque ad statum ciui-

tatis

tatis adcommodet, quae ad salutem populi est vtilissima *). Hac certe norma, quod in cuiusque ciuitatis publico et priuato iure bonum est et iustum, ab iniusto et malo diuiditur.

*) Latius haec et suo more, id est acute et eleganter persequitur Illustris CAROLVS OTTO RECHENBERG in Disputatione de Norma legum iustarum ab iniustis discernendarum Lipsiae MDCCXI. edita. Caeterum eadem vti nos ratione, Ius Romanum, Iura ciuitatis et publica et priuata ad populi salutem refert. De genere PAVLLVS L. 11. D. de Iustitia et iure I, 1. *Ius pluribus modis dicitur: Vno modo cum id quod semper aequum ac bonum est, ius dicitur; vt est Ius naturale. Altero modo, quod omnibus aut pluribus in quaque ciuitate vtile est.* De formis VLPIANVS L. 1. §. 2. D. de Iust. et Iur. I, 1. *Huius studii duae sunt positiones, publicum et priuatum. Publicum ius est quod ad statum rei Romanae spectat: Priuatum quod ad singulorum vtilitatem; sunt enim quaedam publice vtilia, quaedam priuatim.* Facile etiam cum nostra componi potest diuisione, et cum praeceptis apertissime consentit, Illustris MONTESQVIOU sententia, qui tres nominat Iuris formas *Le Droit des gens, Le Droit Politique et le Droit Civil,* easque erudite explicat, v. *L'esprit des Loix. I, 3.*

V.

Natura homines omnes et aequales sibi fecit et aequale omnibus indidit felicitatis desiderium; ad omnes porro ciues pertinet ciuilis consociationis et subiectionis lex; omnes aequali iure suae felicitatis in ciuitate rationem haberi postulant. Est ergo eorum qui iura constituunt, est eorum qui constituta interpretantur et ad formas obuenientes adplicant, aequale ciuibus tribuere ius; nemini iubendo, vetando, nemini absoluendo, damnando, duriorem caeteris, nemini aliis mitiorem statuere conditionem; sed conseruare in rebus caussisque ciuium omnium, omnibus, legitimam et vsitatam aequalitatem.

VI.

Adscribenda autem est ad aequalitatis legem et addenda haec exceptio; nisi salus populi quibusdam ciuibus, rebus, caussis, iura tribui singularia, euidenter postulet. Est scili-

 cet

cet superior omnibus, publicae salutis suprema lex, ea reliquas omnes emendari, corrigi, suppleri par est, si vel latitudine peccant vel angustia. Incidere vero potest et incidit saepe, vt quae aduersantur insigniter publicae saluti, cohiberi non possint, nisi aucta legum seueritate. Incidit, vt sint negotia quaedam ad publicam salutem non vtilia modo, verum et necessaria, quae tamen nec suscipi soleant frequenter, nec confici possint feliciter, nisi propenso iuuentur et publico reipublicae fauore. Recte ergo illis odiosa, his fauorabilia irrogantur priuilegia; seu iura singularia, quae recedunt a legitima et vsitata iuris aequalitate, sed manifesto reipublicae emolumento *). Adest certe manifesta in propositis formis, inaequalitatis aequitas.

*) Redit eo PAVLLI definitio L. 16. D. de Legibus I, 3. *Ius singulare est, quod contra tenorem rationis, propter aliquam vtilitatem auctoritate constituentium introductum est.* Tenor rationis, est generalis et constans iuris ratio et ordo. Recedit ab eo propter vtilitatem ius singulare: cuius crebra occurrunt in Iure Romano exempla, vt recte dixisse videatur IVLIANVS L. 51. §. 2. D. ad L. Aquil. IX, 2. *Multa iure ciuili contra rationem disputandi, pro vtilitate communi recepta esse, innumerabilibus probari posse exemplis.* Iura singularia, priuilegia appellaui. Minus proprie, fateor, sed exemplo legum. Priuilegium antiquis est lex in primum id est vnum priuatum hominem lata. Qualia liberis gentibus odiosa, irrogari absolute vetant, Atheniensium vt videtur exemplo, XII. Tabulae. Luculenter haec explicant Viri Illustris GEORGII CHRISTIANI GEBAVERI *Singularia de Priuilegiis*, Gottingae CIƆIƆCCXLIX. edita. De his VLPIANVS L. 8. D. de Legib. I, 3. *Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Sed contra verbi proprietatem, iura singularia, ordini ciuium, certisque caussis data, frequenter satis, priuilegia nominant, iuris nostri conditores. Sic, vt ex innumeris exemplis afferam pauca, commemorantur Priuilegia militum, L. 24. D. de testam. milit. XXIX, 1. pupillorum L. 42. D. de admin. et peric. tut. XXVI, 7. creditorum priuilegiariorum, L. 17. 18. seqq. D. de reb. auct. iud. possid. XLII, 5.

VII.

Missis odiosis, disputamus de fauorabilibus. Fauere respublica et ciuitatis iura, illis dicuntur hominibus, rebus, causis, quarum singularem gerunt curam, quibus iuuandis

iura

iura dant ſingularia *). Fauor ille iuſtus eſt, ſi iuſtas habet cauſas, iuſtos limites, ſi id denique efficit, quod vult ſalus populi, nec laedit ius aliorum. Idem legitimus eſt, ſi introducunt eum et probant leges, ſi porro id agit, quod eaedem iubent, quod praeſcribunt. Quae vero ſint nominatim iuſtae et legitimae fauoris huius cauſſae, qui limites, qui effectus, ex generali iurium ſingularium regula, facile et intelligi poteſt et demonſtrari.

*) Vtor fauoris voce, ſicut ea vſi ſunt romani iuris conditores. Commemorant illi multas fauoris formas; Fauorem dotium, L. 9. §. 1. D. de Iur. dot. XXIII, 3. Fauorem pupillorum L. 42. D. adm. et peric. tutor. XXVI, 7. Fauorem religionis L. 17. pr. D. de vſufr. et quemadm. VII, 1. Fauorem libertatis L. 122. D. de R. I. L. 17. et ſimiles fauores alios, qui ſubſunt omnes ei quod definiuimus generi.

VIII.

Ad iuſti et legitimi fauoris, iuſtas et legitimas cauſſas, primo quidem ipſa reipublicae ſalus atque vtilitas, pertinet *); deinde is quorundam hominum et negotiorum cum ſalute reipublicae nexus, ea conditio, vt et indigeant ſingulari reipublicae cura beneficisque priuilegiis, et vtrumque mereantur. Sunt ſcilicet homines hominumque ordines, quorum ſalus cum ſalute reipublicae cohaeret, ſed eas habet difficultates, ea pericula, vt niſi respublica ſingularem eorum ſuſcipiat curam, aut deſint illi prorſus aut ſatis prodeſſe nequeant. Sunt porro negotia quaedam ita comparata, vt vtile ſit reipublicae et neceſſarium, ſuſcipi ea frequenter, confici feliciter. Ea vero ſaepius ob multas quibus premuntur difficultates, ob plurima quibus expoſita ſunt pericula, nec ſolent frequenter ſatis ſuſcipi, nec poſſunt vtiliter procurari, niſi respublica eorum agat curam, et ſingularibus iuris beneficiis homines ad ſuſcipienda alliciat, in procurandis adiuuet et tueatur. Fauendum ergo iis negotiis, quae ob inſignem cum ſalute reipublicae nexum, inſignem merentur fauorem, et ob difficultates et pericula, eodem praecipue indigent.

*) Vtilitatem reipublicae primam eſſe et principem legitimi fauoris cauſſam, accurate etiam et eleganter docet ius romanum. Duo adferam

 exempla,

exempla, ne ſim in aperta re et ſimplici verboſus. Fauet dotibus. Cauſſam ex PAVLLO diſce L. 2. D. de Iur. Dot. XXIII, 3. *Reipublicae intereſt, mulieres dotes ſaluas habere, propter quas nubere poſſunt.* Fauet ſepulcrorum religioni. Cauſſam planiſſime PAPINIANVS explicat L. 43. D. de Religioſ. XI, 7. *Nam propter publicam vtilitatem, ne inſepulta cadauera iacerent, ſtrictam rationem inſuper habemus, quae nonnunquam in ambiguis religionum quaeſtionibus omitti ſolet, nam ſummam eſſe rationem, quae pro religione facit.*

IX.

Sintne in earum rerum numero commercia, quae iuris ac reipublicae fauorem merentur, eoque indigent, vt perſpecta tota cauſſa exiſtimari poſſit rectius; eorum naturam, formas, partes, aperte et plane explicabo.

X.

Sunt ea de quibus loquimur commercia, MVTATIO MERCIVM QVAS NOBIS MINVS NECESSARIAS CREDIMVS CVM IIS QVAS MAGIS NECESSARIAS EXISTIMAMVS *). Suo ſcilicet iure homines, ſibi et de iis proſpicere ſolent, quae ad vitam conſeruandam pertinent, et ea adpetere, quae illi commode et iucunde transigendae inſeruiunt. Ea autem eſt orbis terrarum facies, vt non omnia omnis proferat tellus. Ea hominum conditio, vt non omnium eaedem ſint facultates. Negat vni regioni natura, quae larga manu conceſſit alteri: indiget pars hominum illis, quibus abundant alii. Vt ergo conſulatur ſingulis, neceſſe eſt, communicari inter omnes bona varie diuiſa, et mutari quibus abundamus, cum iis quibus egemus. Seruat ſibi quisque, quae ad vitam conſeruandam et ſuauiter tranſigendam ſunt vtilia; quum vero aliis praeterea rebus ſibi opus eſſe ſentit, ſeligit ex ſuis, quibus aut plane aut minori ſaltem incommodo ſe carere poſſe exiſtimat, eaque cum illis mutat quae magis neceſſaria videntur. Dupliciter id fieri et poteſt et ſolet; ſimplici nimirum permutatione et interuentu pretii cuiusdam communis. Simpliciter permutaturus, do ego quibus abundo vt accipiam quorum indigeo. Antiquiſſimum

mum id. Sed ea res multum saepe habet difficultatis, quum nec indigeant semper, qui res nobis necessarias possident, iis quibus nos carere possumus, nec nos his quibus illi abundant. Auget difficultatem discrepans hominum iudicium, in aestimanda rerum quae permutari possent aequalitate aut inaequalitate. Augent eam locorum et temporum differentiae multiplices. Tacco plura. Vsu ergo introductum est, vt commune et eminens quibusdam rebus tribueretur pretium, vt, auro, argento, aeri, nummis. Eius iam ope insigni facilitate merces vtrinque aestimari et accepto pretio quae nobis minus necessariae vendi, dato magis necessariae emi possunt. Exercentur igitur commercia, permutando, emendo, vendendo, omnibus denique negotiis quae mercium permutationi, emtioni, venditioni, inseruiunt.

*) Varias tradunt commerciorum definitiones, qui de iis cum cura scripserunt. Nostra iam CICERONI in mentem venisse videtur, licet eam non generi aptauerit, sed variis quae generi subsunt formis. Refert scilicet ad munera quibus homines funguntur, et *earum rerum quibus abundamus exportationem, et earum quibus egemus inuectionem*, de Offic. II, 2, 13. Hominum porro coetu, iuris aequa descriptione, certaque viuendi disciplina, effectum esse dicit, *vt dando et accipiendo, mutandisque facultatibus et commodis, nulla re egeremus.* De Offic. II, 4. 15. VLPIANVS noster Fragm. XIX, 5. commercium definit, *emendi vendendique inuicem ius.* Nec id male: modo emtionem venditionem tam late intelligas, vt includat permutationem, nec ius, a iuris vsu seiungas. Eum enim commerciorum voce comprehendit ius nostrum. V. Tit. C. de Commerciis et Mercatoribus IV, 63.
Nostra id commodi habet definitio vt ea commerciorum natura, formae, vtilitates, subsidia, accurate possint explicari et luculenter. Simillima est MELONII illa. Cap. I. p. 9. *Le commerce est l'échange du superflu pour le nécessaire.* Quum vero si proprie et accurate loqui velimus, non sit semper in rerum commerciis, quod damus superfluum, quod accipimus necessarium; quum demus saepe necessaria, vt accipiamus magis necessaria, saepe quod accipimus superfluum videri posset nisi mutaretur cum minus necessariis: saepe denique existimatio de maiori vel minori rerum necessitate, opinione magis quam veritate nitatur: praetuli ego in definiendo illam mercium quae nobis magis aut minus necessariae videntur comparationem; aptiorem, vt mihi videtur, ad comprehendendas vna oratione omnes commerciorum partes et formas.

XI.

XI.

Varias quum habeant commercia formas, varie diuidi solent. Constitutum est nobis inuestigare nexum commerciorum cum republica, et inquirere, quibus reipublicae beneficiis, quo iuris publici et priuati fauore efficiatur, vt floreant commercia et reipublicae sint salutaria. Missis ergo aliis diuisionibus, eam explicabimus, sine qua haec disputatio, nec institui potest commode, nec satis intelligi. Sunt nimirum commercia si ad rempublicam referantur, vel interna vel externa, seu quod idem est, vel domestica vel peregrina *). Internum et domesticum, ciues habent cum ciuibus. Externum ac peregrinum, cum externis, et peregrinis. Internum duas habet formas, vnam si ciues cum ciuibus, merces quas tulit natale solum et domestica elaborauit industria, permutando, emendo, vendendo communicant: alteram, si ciues cum ciuibus communicant, merces aliunde inuectas. Externi tres sunt formae: prima, quum nostra exportantur: secunda, quum inuehuntur peregrina: tertia, quum peregrina portantur peregrinis, sed interuentu ciuium nostrorum. In quibus singulis duo spectanda sunt, quae scilicet sit exportationis et inuectionis proportio, et cuius opera, cuius sumtibus peragatur vtraque. Commercia porro domestica et peregrina, singulorumque formas, variis modis et confundi et separari, facile intelligitur; sed omnes illae varietates, ad summa haec et reuocari possunt capita, et reuocandae sunt omnino, si quaeritur quid in illis reipublicae vtile sit, quid noxium?

*) IOANNES LAW diuisit vti nos commercium in domesticum et peregrinum. Domestici vnam commemorauit speciem: *Faire travailler le peuple et échanger dans le Païs ses propres denrées et marchandises.* Addenda omnino altera nostra; nam inuectae merces si porro a ciuibus cum ciuibus communicentur, nostrisque hominibus occasionem praebeant, vel iis in rem suam vtendi, vel in iis perficiendis lucrosam exercendi industriam, pertinent ad commercia interna. Externorum LAWIVS sex numerat formas, quas ad tres reuocari iubent, diuidendi leges. Sic quod sexto loco dicit: *Freter les vaisseaux*

et les

et les louër, non singularis est commerciorum forma, sed pars, vti cambium, assecuratio, aliaque, quae modo ad hanc modo ad illam pertinent formam, prout mercibus exportandis, inuehendis aut transferendis inseruiunt. Ceterum acuminis et vtilitatis plena sunt, quae eo loco de commerciorum formis et partibus LAWIVS scripsit. v. *Considerations sur le commerce et sur l'Argent.* Cap. II. p. 15.

XII.

Explanaui definiendo commerciorum naturam et formas. Perspicuum fit his argumentis, quod nec antea erat obscurum, commerciorum beneficio et apportari vndique, quae per varias terrae partes distributa sunt, et dari amplam singulis facultatem commutandi, cum magis necessariis, ea quibus minus indigent. Sine qua opportunitate si essemus, et deficerent saepe necessaria, et carendum foret omnino maxima rerum earum parte, quae faciunt, vt commode viuere possimus et iucunde. Sunt ergo commercia quae his omnibus prospiciunt et consulunt, non singulis modo hominibus, nec singulis modo ciuitatibus, sed vniuerso hominum generi, omnibusque gentibus maxime vtilia. Merentur, quod ex eo consequitur, communem hominum omnium, omniumque gentium fauorem. *)

*) Quamuis ergo gentes iure perfecto vt aliarum gentium commerciis faueant, non possint cogi: obligantur tamen, licet imperfecte, vt faueant illis pacis bellique tempore, si fauor ille ipsis est innoxius, aliis vtilis. Fluit id ex fonte iuris gentium imperfecti, de quo egregie Ill. MONTESQVIOV; *Le Droit des gens est naturellement fondé sur ce principe, que les diverses Nations doivent se faire, dans la paix le plus debien et dans la Guerre le moins de mal, qu'il est possible, sans nuire à leurs veritables interêts* ESPRIT DES LOIX I, 3. Non potest ex hoc principio aestimari ius gentium perfectum seu cogens. At recte inde deriuatur imperfectum, ad quod pertinet ille fauor, quem gentes aliarum gentium commerciis, debent omnino. Auget obligandi vim, is commerciorum nexus, vt multarum gentium vtilitates coniungant, adeo vt quae gens fauet commerciis aliarum gentium, et sibi prosit et multis aliis.

XIII.

Sed magis multo et arctius cum salute reipublicae cuiusuis, ciuium cohaerent commercia. Mercatura nimirum, quae commerciorum artem et frequentiam complectitur, non eam tantum habet vtilitatem vt apportet omnibus et impertiat, quae ad vitae necessitates et commoda pertinent; sed illis etiam, qui eam strenue et feliciter exercent, honestum et insigne affert lucrum, idque inter innumeros ita diuidit, vt ad vniuersam redundet rempublicam. Ponamus calculos, subducamus rationes. PRIMO, in ea republica cuius ciues magnam et copiosam faciunt mercaturam, nulli, quos natura dat prouentus, nulla industriae et artis opera vsu et fructu destituuntur. Iusto omnia pretio commutari, vendi, exportari possunt. Fit inde vt strenue colantur agri, ampla sit res pecuaria, frequententur vrbes, impigre exerceantur et floreant artes omnes. DEINDE, quum agricultura, res pecuaria, vrbium frequentia, artium successus, ipsa quoque mercium exportatio et inuectio, ac mercaturae partes innumerae, quum inquam ea omnia, si ampla sint et fructuosa, multos et in dies plures, conuocent, alant, ditent, homines hominumque familias; augetur commerciis ciuium et incolarum numerus, augentur opes. PORRO aucto ciuium numero, auctis opibus, augentur commode et vtiliter ciuitatis vectigalia, reditus, opes publicae, scit etiam insuper respublica, si grauiores inciderint necessitates, vnde illis subueniri possit. Nihil DENIQVE ad ciuitatis securitatem et abundantiam, duas illas publicae salutis partes, ciuium egregiorum multitudine vtilius est, nihil publicis priuatisque opibus efficacius. *)

*) Video me ardore quodam mentis, summa proposuisse ad quae eniti potest adiuta commerciis respublica. Nec tamen induco quae scripsi. Recte qui magna cogitant, summa sibi proponunt, et enituntur quo possunt. Cogitemus quid in Anglia effecerit ELISABETHAE regnum; in Gallia HENRICVS IV. et SVLLIVS, LVDOVICVS XIV. et

et COLBERTVS magni omnes; inter Batauos mercatorum societas. Addet, ſpero, Germania noua publicae felicitatis exempla. *Un commerce mène à l'autre, le petit au médiocre, le médiocre au grand. v. Esprit des Loix.* XX, 4.

XIV.

Succedunt laetis triſtia. Florent commerciorum beneficio respublicae. Egent e contrario et debilitantur, ſi negligunt commercia, ſi torpere patiuntur mercaturam. PRIMO enim multis illis et maximis carent commodis, quae ex commerciis deriuantur in ciues, ex ciuibus in rempublicam. Illis vero quum careant, felices et beatae eſſe nequeunt. DEINDE, quum ipſae negligant mercaturam, trahunt ad ſe peregrini exportationis et inuectionis quaeſtum, immo praeripiunt ſaepe ciuibus, domeſtici commercii lucra. Quo non poteſt non exhauriri ciuitas et prorſus eneruari.

XV.

Merentur reipublicae ſingularem fauorem commercia, merentur vt illis prolixe faueant iura reipublicae publica et priuata. Eſt haec prima iuſti et legitimi fauoris cauſſa. Progredior ad alteram. Eo indigent.

XVI.

Non id equidem volo, tolli commercia omnia, ſi deſtituantur reipublicae et iuris fauore. Id vero certum eſt, et nihil habet dubitationis, nec introduci poſſe in rempublicam, quae copioſa mercatura, principum aut ciuium vitio caret, commerciorum vſum et frequentiam; nec ea retineri, defendi, augeri, vti merentur; niſi adſint illis, fauor publicus, cura ciuitatis, iuris beneficia. Habent enim tot difficultates, tot pericula, vt a tentando reuocentur, his vincendis minus adſueti, ſed et ſuccumbant ſaepius, quos vincere ars et vſus docuerat. Alliciendi ergo ſunt opportunitate, priuilegiis, praemiis etiam. Defendendi ab aliarum gentium, imo ciuium quoque, vi et fraude. Iuuandi contra fortunae iniurias et fatorum caſus. Quae omnia publicam poſcunt aucto-

 ritatem,

ritatem, publica ſubſidia. Auget fauoris neceſſitatem, plurimarum gentium aemulatio. Sciunt aut diſcunt ſua commoda fere omnes. Certant de iuuandis, tuendis, augendis ciuium commerciis contentione maxima. Quae ergo in communi hac concertatione torpet inerti otio reſpublica, nec fauet impenſe ſuorum ciuium mercaturae; eius profecto commercia, non modo augeri nequeunt, ſed quod magis eſt, ne conſeruari quidem poſſunt. Opprimuntur prudentiorum ſtudiis, et fiunt tandem, qui ſuperſunt mercatores, peregrinorum proxenetae. *)

*) Docent hiſtoriarum monumenta, nullam fere gentem commerciis floruiſſe, niſi adiutam ſingulari reipublicae fauore; multarum mercaturam debilitatam et oppreſſam, quum eo careret.

XVIII.

Quum omnes reſpublicae commerciis indigeant, commercia fauore; ad omnes pertinent, grauiſſimae quas explanauimus fauoris commerciorum cauſſae. *) Quo vero magis commerciis ad publicam ſalutem indigent ciuitates, quo minus illis videntur aptae, quo grauiora adſunt impedimenta; eo magis amplificandus eſt commerciorum fauor, vt ſcilicet ſufficiat neceſſitatibus reipublicae, et vincat, quae commodis obſtant, omnia. Dantur fauoris gradus. Summi, modo iuſtus ſit, iuſtas habemus cauſſas.

*) Nulli genti conducere commerciorum neglectum, niſi quae nulla prorſus re abundat, et nihil habet, quod mutare poſſit, eleganter docet Ill. MONTESQVIOU. *Eſprit des Loix* XX, 21. Ea vero paupertas, non naturae vitium ſed hominum, quod corrigi par eſt, non foueri.

XVIII.

Iuſtus vt ſit commerciorum fauor, iis ſe contineat finibus, iis limitibus, quos fauori omni, ſummo etiam, iura ponunt et leges.

XVIIII.

Demonſtrauimus ius eſſe cuique homini, qua poteſt ratione ſaluti ſuae conſulendi, dummodo a laedendo aliorum iure

iure abſtineat. Oſtendimus porro, homines ſuo iure vſos, ſaluti ſuae, coitione in ciuitates, conſuluiſſe, inde vero conſequi, vt ſalus populi ſuprema ſit ciuitatis lex, et vt ius ſit ciuitati ſaluti ſuae omni qua poteſt ratione proſpiciendi, modo a laedendo aliorum iure ſe cohibeat. Quamuis ergo iubeat ſalus publica, vt quaedam perſonae vel negotia ſingulari fauore iuuentur: ille tamen fauor eosdem habet limites, quibus ius publicae ſaluti conſulendi continetur; prouidendum eſt ne laedat ius aliorum. Ius autem a quo laedendo abſtinere coguntur, qui ciuitatibus praeſunt, diſtributo in gentes humano genere, triplex eſt; Ius gentium aliarum, ius totius ciuitatis, ius ſingulorum ciuium. *) (IIII)

*) Ita ſcilicet ſalutis publicae cura, cum iuſtitia cohaeret, quam ciuitatum principes ac rectores, et aliis debent gentibus et ciuibus ſuis, tum omnibus, tum ſingulis. Nullus fauor iuſtus eſt, qui ſalutem publicam ab iuſtitia ſeiungit. *C'eſt la juſtice qui doit faire le principal objêt d'un Prince; c'eſt le bien des peuples qu'il gouverne, qu'il doit préferer à tout autre interêt. Le Souverain bien loin d'être le Maitre abſolu des peuples qui ſont ſous ſa domination, n'en eſt que le premier Magiſtrat.* ANTIMACHIAVEL. Ch. I.

XX.

Traducenda ſunt ad formam, de qua agitur, quae de genere demonſtrauimus. Fauendum eſt commerciis, ſed ita vt fauore illo nec aliarum gentium, nec totius ciuitatis, nec ciuium ſingulorum, iura laedantur. *)

*) Vti in omnibus fauorum formis, ita in commerciorum quoque fauore, ſeruanda eſt veriſſima illa limitum regula, ad quam ampliſſimum dotium fauorem dirigit POMPONIVS L. 6. §. 2. D. de Iur. dot. XXIII, 3. *Bono et aequo non conuenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum ſentire per alterius lucrum.*

XXI.

Primo quidem non laedenda ſunt commerciorum fauore, iura aliarum gentium. Id vt ſine ambiguitate poſſit intelligi, definiendum eſt, quodnam ſit gentibus ius prohibendi vel limitandi alius gentis commercia. Eſt id ius omne vel pactis anti-

antiquius vel pactione introductum. Vtroque perspecto, patebit, quae sint illa gentium iura, a quibus laedendis abstinere iubetur commerciorum fauor. *)

*) Praemoneo, disputari de iure perfecto cui cohaeret ius cogendi, non de eo quod sola suadet honestas et vtilitas. Quid in hoc fauor commerciorum efficiat monuimus supra, et explanabimus in secundo quem meditamur libro. De eo iam quaeritur, quos perfecto iure, gens alius gentis commercio ponat limites. Quod argumentum egregie illustrant, qui de commerciorum libertate scripserunt, vti HEINECCIVS; porro qui de Mari libero, mari clauso, dominio maris disputarunt, in quibus eminent HVGO GROTIVS, IOANNES SELDENVS, CORNELIVS BYNCKERSHOECKIVS. In primis vero commendandi sunt harum rerum studiosis, scriptiones, quae in controuersiis gentium de iure prohibendi et limitandi commercia ab vtraque parte editae sunt. Etsi enim in illis vera falsis, incertis certa mirifice misceantur, prosunt tamen egregie ad colligenda totius caussae principia et argumenta, et ad intendendam in omnes partes aciem. Laudandi sunt eo nomine, vt ex multis afferam paucos, quos de Indiarum iure scripsit libros IOANNES DE SOLORZANO PEREYRA; porro quae de iure nauigationis et commerciorum Indiarum orientalium, inter Batauos et Belgas Austriacos disputata sunt, in primis, *la Refutation des Argumens, avancés de la part des Mrs. les Directeurs des Compagnies d'Orient et d'Occident des provinces unies contre la liberté du commerce des habitans des Païs bas* CIↃIↃCCXXIII. *quae auctorem habet* P. MAC. NENY Imperatoris in Belgio Austriaco Consiliarium et fisci procuratorem extraord. et quae ei oppositae sunt ABRAHAMI WESTERWEEN *Dissertationes de Iure quod competit Societati priuilegiatae Foederati Belgii ad Nauigationem et Commercia Indiarum orientalium* atque V. C. IOANNIS BARBEYRAC *Defense du Droit de la Compagnie Hollandoise des Indes orientales contre les nouvelles pretensions des habitans des Païs bas Autrichiens.* Addi merentur quae in Belgio, occasione concessi a Rege Lusitaniae IOANNI DANSAINTIO et SOCIIS priuilegii exercendi in oris Africae commercia, prodierunt Legati regis Portugalliae DIOGO DE MENDOÇA CORTE-REAL et Societatis Belgicae Indiarum Occidentalium, disputationes mutuae CIↃIↃCCXXXVII. Taceo plura, quae ex gentium litibus, legatorum litteris et Actorum publicorum voluminibus in hanc rem vtiliter possunt colligi. Egregiam eiusmodi disputationum publicarum copiam inuenimus in THOMAE RYMERI et SANDERSONII Foederibus, Conuentionibus, Litteris et cuiuscunque generis Actis publicis, inter reges Angliae, et alios Imperatores, reges, reliqu: inprimis Tomo XVI.

XXII.

XXII.

Iure perfecto gens in suo territorio aliarum gentium commercia prohibere et limitare potest, nisi quoad pactis ius hoc circumscribitur. *) Est nimirum territorium omnis regio, quae subest imperio reipublicae; in eo ergo imperantibus ius est dirigendi actiones liberas omnium qui sunt in territorio: possunt proinde ciuibus imperare, cum quibus et qua lege merces mutare liceat; possunt peregrinis, qui ad territorium accedunt, commercia permittere aut negare, et si permittant ea exigere vectigalia, eas iubere leges, quas suae ciuitati conducere existimant. Iure suo gentes hanc summi imperii partem tuentur et omnes ab ea laedenda abstinere cogunt. Nullo contra iure, nullo fauoris commerciorum praetextu, ab aliis ad eam deserendam cogi possunt. Eo iure ante pacta vtuntur. Quodsi vero gentibus cum peregrinis, de concedendo commerciorum iure, et de eius conditionibus conuenerit; tum sane pactum bona fide seruandum est, et quamdiu ex conuentionis lege valet, nec negari potest commercii ius, nec mutari queunt conditiones. Imponit sibi pacto ciuitas, seruandi necessitatem, adquirunt peregrini ius cogendi.

*) Nostrum iam non est disputare, qua ratione adquirant vel amittant territoria gentes. Quamdiu territorium possident, possident imperii iura. Mare, quatenus possidetur et defenditur, territorio reipublicae cohaeret, eiusque imperio subest. Caeterum non repugnare vt sint in ciuitatis imperio, quae non sunt in eius dominio, notissimum est. HVGO GROTIVS de Iure Belli et Pacis II, 3, 4.

XXIII.

Nulli genti ius est extra suum territorium, aliarum gentium commercia prohibendi et legem illis dicendi, nisi id sibi ius pacto quaesiuerit. Cohaeret gentium imperium territorio. Si igitur gens, imperii iura in alius gentis territorio exercere vellet, non suo vteretur iure, sed laederet potius ius illius gentis. Si eadem iura in mari vel terra exercere vellet,

vellet, quae nec ad eius nec ad alius gentis territorium pertinet, laederet ius omnium hominum in res nullius. Ius vero prohibendi et definiendi commercia gentis cum gente, pars eſt ſummi imperii. Quo ergo iure imperium genti extra territorium negatur, quod ſit antiquiore pactis gentium iure, eodem ipſi poteſtas adimitur, terminis circumſcribendi commercia aliarum gentium, vltra territorii fines. Poteſt tamen eiusmodi ius pactis acquiri. Si enim paciſcitur nobiscum gens de terminis, quibus commercia definire ſpondet, ius nobis tribuit, eam cogendi, vt ſtet pactis nec vltra conſtitutos progrediatur fines.

XXIV.

Demonſtrauimus non eſſe genti ius limites aliarum gentium commerciis ponendi, niſi intra territorium aut ex pactis. Addenda tertia ſpecies, ſed temporaria illa, et quae ſola neceſſitate defenditur. Ius ſcilicet prohibendi tempore belli commercia hoſtium noſtrorum cum gentibus aliis, niſi obſtent pacta. Eſt nimirum genti cuiuis ius, iura ſua, ſi ab aliis gentibus laedantur, bello tuendi, idque bellum faciendi hoſtibus, donec ei de reparatione damni iniuria dati et de publica in poſterum ſecuritate ſatis fuerit proſpectum. Dato autem belli iure, datur etiam ius genti, faciendi omnia ſine quibus propoſiti bello fines vel prorſus vel aeque celeriter obtineri nequeunt; prohibendi quae alunt bellum et cum eius finibus pugnant. Hoſtes, ſi dematur illis occaſio accipiendi ab aliis ea quorum indigent, exportandi illa quibus abundant, priuari ſaepe belli ducendi ſubſidiis et compelli ad maturandam pacem; ſi contra fiat, ali poſſe bellum et trahi diutius: facile intelligitur. Gens ergo, quae iuſtas habet belli cauſſas, belli tempore, iure perfecto commercia hoſtium cum gentibus aliis omnibus prohibet, et quod huic cohaeret, eodem iure alias gentes cogit, ne accedant commercii cauſſa ad hoſtium territorium. *) Quodſi vero pactis prouiſum

ſum fuerit, quod in foederibus commerciorum ſcimus fieri frequenter, vt belli quoque tempore liceat amicis aut qui neutras ſequuntur partes, commercia cum hoſtibus exercere; tum ſane intra definitos pactis fines, extinguitur bellicum prohibendi ius.

*) Repeto quae praemonui. Diſputamus de limitibus quos ius gentium perfectum fauori commerciorum ponit, pacis bellique tempore. Quid humanitatis lex, quid praecepta prudentiae, belli quoque tempore gentibus in fauorem commerciorum iubeant, ſuadeant, videbimus alio loco. Caeterum de iure interdicendi hoſtes commerciis legenda ſunt, quae ſcripſit HVGO GROTIVS de Iure Belli et Pacis III, 1, 5. et in Annotatis ad hoc caput. CORNELIVS BYNCKERSHOECKIVS Quaeſt. Iur. Publ. I, 3. 9. Addatur Diſſertatio erudita et elegans Viri Conſultiſſimi CAROLI FERDINANDI HOMMELII de Commercio in S. R. Imperio tempore belli interdicto, Lipſiae ad diſceptandum propoſita cIↃ IↃ CC XLV.

XXV.

Solent ſaepe gentes, quae prohibent aliarum commercia, vt faueant ſuis, ius ſuum praeſcriptione tueri. Inquirendum igitur num acquiri poſſit praeſcriptione ius, aliarum gentium commercia, extra territorium, ſine pactionis interuentu, et extra belli neceſſitatem prohibendi, limitibusque circumſcribendi. Grauis incidit controuerſia, quae ſit inter liberas gentes praeſcriptionis vis, quae natura. Non interponam meum in praeſenti iudicium. Nec eo, quam tueor commerciorum cauſſa indiget. Certum eſt, gentium iure, continuationem laeſionis per longiſſimum tempus, numquam ſufficere ad acquirendum ius porro laedendi. Gens quaeque ſummum habet intra territorium imperium, extra territorium nullum, niſi ad propellendam bello iniuriam neceſſarium, aut legitimis quaeſitum pactis. Si ergo in gentem liberam extra territorium, extra belli neceſſitatem et ſine iure pactis quaeſito, imperium affectat, laedit gentis libertatem et imperium, quae laeſio, quum factum ſit illicitum, laedenti ius tribuit omnino nullum. Nec efficit patientia laeſae gentis,

vt ea imperii adfectatio, laesio esse desinat et consensu tacito iuris induat naturam. Non significat iniuriae patientia consensum tacitum, sed vel iuris aut facti ignorationem, vel metum maioris ex defensione mali. Quod inter gentes eo certius, quia non solent impune laedi, nisi dolo aut vi fortioris, nec iudiciis defenduntur sed armis, in quibus nulla spes, si cum potentiore sit concertandum *). Sequuta ergo rerum conuersione, si laesa gens, aut rectius aestimare discit ignorata laesionis damna, aut se illi sine metu maioris mali depellendae parem sentit, laedentem iure perfecto cogit, vt a laedendo abstineat et damnum iniuria datum reparet. Transferamus generatim dicta ad ius commerciorum. Ius legem dicendi commerciis, pars est summi imperii; eam ergo quaeuis gens liberrime in suo exercet territorio, sed exercere nequit extra territorium, nisi permittant pacta, aut iure belli in hostico. Quae ergo gens extra territorii fines aliarum gentium commercia circumscribit et definit, quum id faciendi nec ex pacto ius habeat, nec ex belli iustitia; ea illas laedit gentes, et continuata per longissimum tempus laesione, nullum acquirit porro laedendi ius; nec amittunt laesae gentes, laesionis patientia, ius eam simul ac possunt, quauis ratione depellendi. Iisdem argumentis demonstratur, nec posse longissimi temporis lapsu acquiri, ius cogendi gentem liberam, vt nobis in suo territorio commercia permittat et ab illis limitandis abstineat. Esset nimirum illa coactio, laesio imperii, quod cuique genti intra territorium libere exercere licet. Patet denique ius commercii inter liberas gentes, vsus intermissione non amitti, quia illa vsus intermissio a libera gentis voluntate pendet et aliis ius prohibendi, sine pacto, non tribuit.

*) Ita inter gentes liberas pronunciandum existimo, inter quas null iudicis adeundi potestas. Alia ratio eorum est qui ciuili imperio subsunt et iudiciis iura defendere possunt. Recte respublica lege ciuili iubet, vt ciues intra definitum tempus in res suas inquirant et iudicem

iudicem iuris defendendi caussa adeant, id vero si neglexerint, iure suo excidant: vt scilicet sit litium finis. L. 5. D. pro suo XLI, 10 et ne quarundam rerum diu et fere semper incerta dominia essent, quum sufficeret dominis ad inquirendas res suas, statuti temporis spatium L. 1. D. de vsurp. et vsucap. XLI, 3.

XXVI.

Nec plurium gentium vtilitas, ius illis extra territorium tribuit, cogendi pauciores, vt sibi commerciorum legem et modum statui patiantur. Gens enim obligatur genti, vt homini homo extra ciuitatem, perfecte scilicet ne laedat, imperfecte vt alterius felicitatem salua sua amplificare studeat. Iure ergo cogitur gens, vt a laedendo abstineat, non vt studeat aliarum commodis: relinquendum id est humanitati et prudentiae gentis, nec laedenda ea iniusto coactu.

*) Scripsit Vir acutissimus MELONIVS Cap. I. pag. 3. *C'est là le Droit naturel et primitif des Nations, selon lequel le Droit d'une Nation particulière cède au Droit des autres Nations ensemble; de même, que le Droit d'une Famille ou d'un particulier cède à celui de sa Nation.* Recte omnino adserit, postponendum esse ciuis priuati commodum, commodis totius ciuitatis, cui adscriptus est; quod exinde non vtile solum, sed et iustum est, quia regula, quae commoda totius ciuitatis commodis singulorum anteferri iubet, continetur in ipsa ciuilis consociationis et subiectionis lege. At dispar est et longe alia integrarum gentium conditio. Eae nulla consociationis lege, ad commoda singularum vel pauciorum, commodis omnium aut plurium postponenda, perfecte obligantur. Custodia enim societatis illius vniuersalis, quae vt omnes homines, sic omnes complectitur gentes, non obligat nisi imperfecte ad aliorum commoda prouehenda, nec tribuit ius cogendi alios vt nobis prosint. Quod eo fieri potest minus, si aliorum vtilitates nobis nocent: in republica lege consociationis, ciues singuli, publicam salutem, si alia ratione obtineri nequeat, priuatis redimere coguntur incommodis et damnis, at extra ciuitatem si aliorum commoda cum meis pugnant, iure mea praefero. Est praeterea in ciuitate, legitima potestas, cui ius est decernendi, quando plurium salus vincat pauciorum commoda. At inter gentes nemini ius est decernendi, quando pauciorum vtilitas postponenda sit vtilitati plurium. Vnde ignorat hanc legem ius gentium cogens. Si igitur vtilitas pauciorum gentium cum vtilitate plurium pugnat, nec adsint pacta, quae pugnam dirimant, tunc eorum qui paucioribus illis imperant est officium, vt rationibus accurate collectis et subductis statuant, vtrum conueniat saluti reipublicae vt, quod facere possunt iure stricto, eius praeferant commoda, an vt

 remittant

remittant aliquid et caeteris illis gentibus conniueant. Finge, gentem maritimi commercii expertem huc vsque, consilium capere nauigandi in Asiae vel Africae partem, permittere id qui partibus illis imperant, nec obstare pacta, alias autem gentes aegre ferre diminui lucra commercii maritimi, concursione plurium. Rectene gentes illae statuent, anteferendas esse vtilitates plurium vtilitati vnius, et cogendam vnam illam gentem vt nauigatione abstineat. Minime.

XXVII.

Vidimus pactis acquiri ius cogendi gentes, vt in subiecto earum potestati territorio, abstineant facultate legem commerciis peregrinorum dicendi, quam volunt: at pactis quoque quaeri ius modum statuendi aliarum gentium commerciis extra territorii limites. Fit inde, vt saepe incidat quaestio, liceatne fauore commerciorum, violare pacta, commerciis nostris inimica. Qui licere defendunt, inesse existimant pactis gentium omnibus tacitam publicae salutis exceptionem, et iure ab illis recedi, si reipublicae detrimento esse coeperint, *) esse vero liberum commercii ius, in praecipuis publicae salutis instrumentis. Blanditur commerciis sententia ista, non fauet. Pugnat enim cum bona fide, qua nulla res vehementius humani generis societatem continet, qua nulla efficacius publicam tuetur pacem et securitatem. Nec licet indicto bonae fidei bello, commerciis fauere, quae sine bona fide consistere omnino nequeunt. Nec ferendum publicae salutis simulatione, fidem violari qua illa nititur, et qua sublata subrui eam necesse est et euerti. Redit res ad prima quae posuimus principia. Ius est ciuitati, saluti suae omni qua potest ratione consulendi, dummodo non laedat ius aliorum. Ius vero est illis cum quibus paciscitur ciuitas perfectum, cogendi eam, vt pacta seruet. Id nunquam laedi patitur, quae suum cuique tribuit iustitia. Curandum ergo est rerum publicarum rectoribus, ne pacta ineant, commerciis ciuium aduersa, at inita bona seruentur fide, nisi constet euidenter, nos illis ob pactionis vitium

ab initio

ab initio non fuiſſe obligatos, aut gentem cum qua pacti ſumus, ipſam, pactis detraxiſſe obligandi vim.

*) Scripſit, quo conſilio, in praeſenti non diſputo, NICOLAVS MACHIAVELLI in libro *Del principe* Cap. XVIII. *Non può per tanto un Signore prudente, nè debbe oſſeruare la fede, quando tale oſſeruantia gli torni contro, et che ſono ſpente le cagioni che la fecero promettere. Se gli buomini fuſſeno tutti boni, queſto precetto non ſaria buono: ma perche ſono triſti, et non l'oſſerverebbeno à te, tu ancora non l'hai da oſſervare à loro.* Non poteſt reſponderi rectius, quam factum eſt in libro aureo L' ANTI-MACHIAVEL Ch. XVIII. *Que Cartouche vole, pille, aſſaſſine, j'en conclus que Cartouche eſt un Malbeureux qu'on doit punir, et non pas que je dois régler ma conduite ſur la ſienne. S'il n'y avoit plus d'bonneur et de vertu dans le monde, ce ſeroit chez les Princes, qu'on en devroit rétrouver les traces.* Non indigent homines perfidiae magiſtris, cuius abundant exemplis. Grauiter bonae fidei humanique generis cauſam orauit et animoſe Vir ampliſſimus CORNELIVS VAN BYNCKERSHOECK Quaeſt. Iur. Publ. II, 10.

XXVIII.

Deſignaui primum fauoris commerciorum limitem; ne laedat ius aliarum gentium: progredior ad alterum; ne laedat ius publicum ciuitatis. Duo id habet ſumma capita. Primum, ius et officium rectorum ciuitatis verſatur in eo, vt conſulant totius reipublicae ſaluti: alterum, vt id faciant ex praeſcripto legum et pactorum, in quibus poſita ſunt reipublicae fundamenta. Vtroque regitur, is de quo diſputamus commerciorum fauor.

XXIX.

Fauendum eſt commerciis, ſed ea ratione vt conſulat ille fauor ſaluti reipublicae totius. Proſunt reipublicae commercia. At non omnia: ſunt quae nocent. Iubet ergo ius ciuitatis publicum, diſcerni ab vtilibus noxia, premi haec, faueri illis, huc dirigi ſummam qua pollent imperantes, legum ferendarum et ordinandae reipublicae poteſtatem. At, vt ſatisfieri poſſit iuſſui aequo ſane et bono, iungenda iuris arti, prudentia et ciuilis illa et mercatoria. Non ſufficit conſuli a principibus, viros ciuilis prudentiae gnaros, ſunt enim illi plerumque, rerum quae ad interiores mercaturae et

commerciorum rationes quaeſtusque compendia pertinent, aut ignari prorſus, aut non ſatis periti. Sed nec ſufficit conſuli mercatores; vt enim taceam nondum abundare ordinem illum viris qui vltra formulas ſapiunt et paternas conſuetudines, ſunt in iis multi qui blandiuntur ſuauiter principum auribus boni publici ſimulatione, ſed id agunt vt neglectis aliis, iis faueatur commerciis, quae ipſorum lucra augent, licet diminuant totius reipublicae facultates. Iungenda ergo vtriusque partis conſilia, ſed ii maxime audiendi mercatores, qui arti, prudentiam iungunt et animi candorem, vt cauſſa omni perſpecta is certo ſtatuatur iudicio, fauori commerciorum limes et modus, qui cum totius reipublicae ſalute conſentit. Dabo regulas, quae et intelligi poſſunt et demonſtrari, ex praemiſſa de formis commerciorum et de nexu eorum cum ſalute reipublicae doctrina. Prima, de commerciis internis vel domeſticis. Ea vero ſemper reipublicae ſunt fructuoſa, ſi id efficiunt, vt nihil in republica ſit ſterile, nihil otioſum, et vt respublica a peregrinis accipiat pauca, det iis multa. **De externis tres habeto,** quae arctiſſime cum prima illa cohaerent. Quae cum peregrinis commercia efficiunt, vt ſubductis rationibus omnibus, plus noſtra respublica a peregrinis accipiat auri argentique, quam alienae a noſtra, illa ad ſalutem publicam ſunt vtilia, et ſingulari iuuanda fauore. Quae vero faciunt, vt plus auri argentique peregrini accipiant a noſtris, quam noſtri a peregrinis, illa quoad fieri poteſt, coerceri par eſt et reprimi. Quae denique, non niſi aequalitatem lucri, inter noſtros et peregrinos efficiunt, coercenda non ſunt, nec tamen ſingularem merentur fauorem, ſatis ea tuetur mutua libertas. Late patet haec inquiſitio et multis impeditur difficultatibus, quas vt ſuperet ſagax inquiſitor, in tria aciem intendat neceſſe eſt. Vt noſcat ſcilicet PRIMO, proportionem eius quod ſoluit respublica peregrinis et quod peregrini ſoluunt ciuibus, et cui

parti,

parti, collectis et subductis rationibus omnibus, cedat quod aequalitatem superat lucrum *). DEINDE partes commerciorum quas exercet vel exercere potest respublica omnes, et quid ad illam proportionem conferant, vel conferre queant, singulae **). DENIQVE subsidia adcommodatissima ad conseruanda et augenda vtilia, ad reprimenda et coercenda noxia ***). Tantum scilicet opus est leges dare commerciis, quibus consulatur saluti totius reipublicae.

*) Solet id appellari *La Balance du commerce*, cuius accurata cognitio fundamentum est et regula consiliorum de iuuandis fauore commerciis, Duae sunt inuestigationis viae. Prima, vt inquiratur in proportionem mercium quae exportantur et inuehuntur, vtrisque rite aestimatis. Si enim appareat, nos plus mercium accipere a peregrinis, quam accipiunt a nobis peregrini omnes, aestimato vtrinque aequaliter pretio, tunc certum est nos perdere: si contra sit, nos lucrari. Altera, vt inquiratur in proportionem, quae obtinet in permutanda cum peregrinis pecunia. (Le cours du change). Debent Amstelaedamensibus Londinenses, Londinensibus Amstelaedamenses; ne ergo necesse sit mitti vtrinque et remitti saepius eandem pecuniam, magnis impensis, nec minori periculo, compensantur debita vel inter debitores ipsos vel interuentu aliorum, in diuersis saepe emporiis. Fit id per cambia, vt aiunt, trassata. Londinensis soluturus Amstelaedamensi, quaerit cambium, ab eo cui Amstelaedamensis debet, Amstelaedamum trassatum. Quo transmisso compensantur debita. Iam scimus augeri pretia rerum ea proportione, quae est inter numerum rerum quae quaeruntur et numerum earum quae adsunt. Si ergo Londinenses plus debent Amstelaedamensibus, quam hi illis, non possunt non rariora esse cambia trassata Londino Amstelaedamum, quam Amstelaedamo Londinum, et plures tamen indigebunt illis quam his. Vnde cambium C. Florenorum trassatum Londino Amstelaedamum maiori emendum erit, pretio, quam cambium C. Florenorum trassatum Amstelaedamo Londinum. Contra erit si Amstelaedamenses plus debent Londinensibus. Si denique debita vtrinque sint aequalia, aequale erit cambiorum eiusdem summae pretium. In ea vero computatione, demendae sunt mutationes subitae et temporariae, quae non ex proportione debitorum sed extrinsecus ex alio genere proueniunt, et facile distinguuntur, a peritis harum rerum. His demtis, si rite componantur, reciproca cambiorum trassatorum pretia, intelligi poterit, quae regio plus debeat alteri, quae minus.

**) Si propositis subsidiis vsipersipiciamus, plus nos debere peregrinis, quam peregrini debent nobis, plus inuehi mercium quam exportari;

agendus

agendus erit commerciorum quae ſint noſtris ciuibus cum peregrinis cenſus, et inquirendum quibus efficiatur, vt plus debeant noſtri, quibus contra effici poſſit vt plus debeant noſtris peregrini. Illa reprimenda, haec iuuanda. Pertinent ad claſſem commerciorum ſumme vtilium, 1. quibus exportantur merces arte et induſtria incolarum elaboratae, 2. quibus exportantur merces ſuperfluae, quae arte induſtriaque non perficiuntur, 3. quibus inuehuntur merces arte et induſtria ciuium perficiendae, et vendendae dein aliis, 4. quibus mutatio mercium inter peregrinos, interuentu ciuium noſtrorum cum fructu peragitur. Contra ad claſſem ſumme noxiorum, 1. quibus exportantur prouentus naturales, quorum indiget regio ipſa, vti annona, quae vt ſufficiat incolis omnibus, prima merito eſt legislatoris cura v. MELON. Cap. II. p. 15. 2. quibus exportantur merces, quae occupare potuiſſent vtiliter artes et induſtriam ciuium, 3. quibus inuehuntur peregrina, eo effectu vt negligantur domeſtica. Sunt haec ſumma genera, ad quae referendae ſunt ſpecies, ſed ſpectata ſemper permutationum neceſſitate et proportione, qua fit, vt commercium quod ſi ſolum eſſet, foret noxium, fiat vtiliſſimum, ſi iuuet permutationem, cuius maiori lucro, minora penſantur damna. v. MELON. Cap. XIX. pag. 256. REFLEXIONS POLITIQVES Tom. II. Art. 7. p. 168.

***) Adhiberi poteſt vtiliter prohibitio exportationis vel inuectionis noxiae, niſi turbetur ea permutationis vtilitas. Si ſecus fiat, cauendum ne periculoſior ſit morbo medicina. Suppetunt alia. Minuere vectigalia vtilibus, augere noxiis. Efficere vt comparata mercium noſtrarum et peregrinarum bonitate, aequiori noſtrae emi poſſint pretio. Taceo plura, quae Libris poſterioribus, vbi per ſingulas partes eundum erit, vberius enarrabo et fuſius.

XXX.

Alter limes quem Ius publicum fauori commerciorum conſtituit, is eſt, ne quid fiat aduerſus leges et pacta, in quibus poſita ſunt reipublicae fundamenta. Oraui ſupra cauſſam bonae fidei in iure gentium et demonſtraui ſeruanda eſſe pacta, etiamſi commerciis fuerint inimica. Eadem res hic agitur. Obſtricti ſunt imperantes, vt ſeruent bona fide conſtitutas et pactas de forma et adminiſtratione reipublicae leges. Faueant ergo commerciis, qua poſſunt ratione, ſed ita ne laedant formam imperii publicis legibus et pactis ſtabilitam. *) Si pugnent publicae leges et pacta cum fauore commerciorum, operam dent vt conſenſu eorum mutentur,

penes

penes quos mutandi ius eſt et poteſtas. Id ſi obtinere nequeunt, ſeruent legitime conſtituta. Ferenda ſunt mala, quae nequeunt depelli, niſi malo facinore.

*) Cautio haec in iis rebus publicis neceſſaria, in quibus adſtricta legibus imperantium poteſtas; multoque magis ſi accedat forma ad Syſtema ciuitatum foederatarum. Sic in magna Britannia, non licet regi legibus prouidere commerciis, niſi conſentiat auguſtum regni concilium, quod Parlamentum appellari ſolet. In Belgio Foederato ſingulae prouinciae iure ſummae poteſtatis ordinant commercia ciuium ſuorum, ſed ita ne laedant conſociationis leges. v. CORNEL. VAN BYNCKERSHOECK Quaeſt. Iur. Publ. II, 23. 24. In Imperio Germanico ius dirigendi commercia in iis quae totum ſpectant imperium, pertinet ad Imperatorem et Electores INSTR. PAC. OSNABR. Art. IX. §. 1. 2. MONASTER. §. 67. 68. reliquosque principes et ſtatus CAPIT. IMP. FRANC. I. Art. VII. §. 3. in territoriis ad dominos, ſaluo nexu totius imperii. INSTR. PAC. OSNAR. Art. VIII, §. 1. CAPIT. IMP. FRANC. I. Art. VII, 5. vide KEMMERICHII Introd. ad Ius publ. V, 10, 74. ſeqq.

XXXI.

Limites ponit commerciorum fauori ius gentium, ponit ius publicum totius ciuitatis, ſed ponit etiam ius ſingulorum ciuium. Ius eſt ciuibus ſingulis poſtulandi, vt in republica ſecuritati et vtilitatibus ſingulorum conſulatur, niſi manifeſta neceſſitas exigat, vt anteferantur publica commoda priuatis. Continetur ius id ſingulorum, in prima conſociationis ciuilis origine et lege. (II. III.) Iure ergo perfecto ſinguli ciues poſtulant, ne laedantur ablatione ſui: iure imperfecto vt eorum vtilitatibus prouideat respublica. Quum autem imperantium ſit, vires et voluntates ſingulorum dirigere ad communem ſalutem, eſt ipſis ius eminens ſtatuendi de iure ciuium. Redit id ad quatuor capita: PRIMO legem dicunt ciuibus qua ratione tuendum ſit ius perfectum, ne turbetur publica tranquillitas. DEINDE ſi cogat fatalis reipublicae neceſſitas, cogere poſſunt ciues, vt renuncient iuri perfecto. PORRO modum ſtatuunt ſtudio ſingulorum, vtilitatibus priuatis conſulendi, ne id obſit vtilitati totius rei-

publicae. DENIQVE in cura vtilitatis ſingulorum, quam gerunt ipſi, recte ſi commoda plurium cum commodis pauciorum pugnent, praeferunt vtilitates plurium. Duplici tamen cautione opus eſt, altera ſi adimitur ciuibus ius, demta neceſſitate, perfectum: altera ſi negligitur imperfectum. In adimendo illo; ne id fiat, ſi alia ratione ſecuritati ciuitatis conſuli poteſt, vtque damnum, quod paſſus eſt reipublicae cauſſa ciuis, a republica quoad fieri poteſt reparetur. In negligendo hoc; ne ad poſtponenda commoda pauciorum, deueniatur, ſi conſuli poteſt omnibus, ſi vero poſtponenda omnino ſint, vt paucioribus illis alia ratione proſpiciatur. Ad has leges dirigendus eſt commerciorum fauor, ne laedat, ius ſingulorum ciuium: hae illi adhibendae cautiones, ſi pugnant in iuuandis commerciis, commoda pauciorum, cum vtilitatibus plurium aut totius reipublicae.

*) Satisfecit cauſſae grauiſſimae, Vir illuſtris CHRISTIANVS LVDOVICVS STIGLIZ Diſputatione de Iure imperantium in ius quaeſitum ſubditorum Lipſ. CIↃ IↃCC XIII. Rec. CIↃ IↃCC XLVIII.

XXXII.

Non opus eſt vt transferam nominatim ad commercia, quae de iure ſingulorum ciuium dixi in vniuerſum. Addam tamen duo exempla, quae in controuerſiam adduci ſolent frequenter: primum de iure ciuili conſtituto et recepto; de priuilegiis alterum.

XXXIII.

Ius eſt ciuitatum rectoribus legem dicendi ciuibus, quae regat iura ſingulorum et modum ea tuendi. Liberum illis porro eſt, vtrum ipſi ius conſtituere velint ciuitati, an recipere ciuitate peregrinum. Liberum denique, definire quae iure ſcripto dirimi velint, quae relinquere moribus et aequitati. Conſtituto autem vel recepto iure ciuili, poſtulant ſuo iure ciues, vt ex eius praeſcripto aequale ipſis dicatur ius. Si ergo animaduertant ciuitatis rectores, pugnare ius conſtitutum

tutum vel receptum, cum eo quem commerciis debent fauore, poſſunt ſane noua lege abrogare priorem et mutare. Ante vero quam ea mutatio facta et noua illa lex rite fuerit promulgata, pronunciandum eſt, ſecundum priorem, ne laedatur quaeſitum inde ciuibus ſingulis ius; quod nunquam licet niſi ſumma vrgeat neceſſitas. Multo vero minus iudicibus eſt permittendum, vt in re, ciuili iure definita, nec alia lege mutata, recedant a iure ſcripto, et inuolent in iuncta rectorum et ciuium iura. Licet ergo id efficere poſſit commerciorum fauor, vt ciuitatis rectores mutent iura commerciis inimica; vt iuris interpretes in re dubia eam praeferant ſententiam, quae fauet commerciis: nunquam tamen eius ſimulatione, recedendum eſt, a iure quod legitima auctoritas conſtituit, necdum mutauit. Ponit ſcilicet ius ciuitatis priuatum limitem fauori commerciorum, in cauſſis priuatis.

XXXIV.

Adiungam alterum. Priuilegium datum ciui legitime, ius ei tribuit, poſtulandi vt illo fruatur tranquille, ſecundum conceſſionis formulam. Curandum ergo principi, ne largiatur niſi vtilia reipublicae, et innocentia. Data, ſalua ſint: nec reuocentur temere, niſi id iubeat euidens reipublicae neceſſitas. Nec intereſt, gratuitane ſint an oneroſa, legem dat vtrisque promiſſio legitima et bona fides. Si ergo cohaeret priuilegium cum commerciorum cauſſa, non id efficit eorum fauor, vt id poſſit violari antequam reuocetur, nec vt reuocari queat temere. Quodſi vero id tolli iubeat euidens neceſſitas, equidem aequum et bonum exiſtimo, vt respublica qua poteſt ratione damnum ciui reſarciat, qui priuilegium, praemium laboris aut dato impetrauit pretio, nec eos inde cepit fructus, qui aequent laborem aut pretium.

*) Adde HERMANNI CONRINGII Diſquiſitionem de Priuilegiis recte conferendis et reuocandis. Helmſt. CIƆ IƆC LXIX. III. GEBAVE-

RI Singularia de priuilegiis. XX. III. CHRIST. L. B. de WOLF Instit. Iur. nat. et gent. §. MXLVII.

XXXV.

Egi finitorem. Quo functus officio, explanabo tandem quid efficiat fauor ille commerciorum; cuius ostendi caussas et designaui limites.

XXXVI.

Quae negotiis quibusdam fauet respublica, id cura singulari et iuris beneficiis efficere nititur, vt et suscipiantur frequenter et conficiantur feliciter. Is ergo commerciorum fauori propositus est finis, vt floreant in vtilitatem reipublicae, vt singulas eorum partes, quae quidem ciuitati prosunt, suscipiant multi, et susceptas peragant feliciter.

XXXVII.

Id primo efficiendum est, vt alliciantur multi ad faciendam mercaturam, non tenuem illam solum et tabernariam, sed magnam maxime et copiosam. Mouentur honore homines et vtilitate. Sit ergo in republica quae commerciis fauet honestum, sit vtile, operam dare commerciis. Recte respublica ciues in diuersos distribuit ordines, et vt prospiciatur omnibus, cuique ordini quaerendarum facultatum legem dicit: recte eos qui publicis destinantur muneribus, iis abstinere iubet negotiis, quibus auocantur ab officio, et in faciendo impediuntur. Aestimandum ergo ex reipublicae statu et ordinum descriptione, quibus permittendum sit mercaturam facere, quibus negandum. Id autem firmum sit semper et stabile: honestam esse mercaturam omnem, si fiat honeste: sordidam nullam, nisi hominum non artis vitio, mendaciorum et turpis lucri sordibus obsolescat. *) Honos in ciuitate quae fauet commerciis, habeatur omnibus, qui mercaturam honeste faciunt; nec occludat ea, sed muniat potius viam, ad altiores honorum et dignitatum gradus: ornentur prae-

praeterea singularibus honorum praemiis, quorum spectata in mercaturis industria, maxime prodest reipublicae. At fortius multos honesto mouet vtile: nec deerunt vnquam reipublicae mercatores, abundabit mercatoribus respublica, si effecerit, vt nauata commerciis opera, vtilis illis sit et fructuosa. Nulla ratione felicius ad mercaturam inuitantur et alliciuntur homines, quam si minuantur difficultates, augeantur commoda, ponantur in medio lucra periculis ampliora. Sint haec communia omnibus. In iis autem commerciis, quibus suo damno caret respublica, si ea praesertim magnas habeant difficultates, multa pericula, proponantur vtilitates praecipuae, praemia singularia, quibus ad audendum excitari possint meticulosi, incitari audentes.

*) Sunt qui CICERONEM de Offic. I, 42. 150. 151. sequuti, mercaturam tenuem, sordidam putant, quia in illa nihil proficiant homines, nisi admodum mentiantur: nec vero quicquam sit turpius vanitate. Sed si rem consideremus ipsam, sepositis hominum et vitiis et opinionibus: possunt sane homines in tenui etiam mercatura mendacia deuitare et lucri turpitudines: potest e contrario, magna quoque et copiosa, si faciant eam homines vitiosi, vanitate et turpi quaestu sordescere. Vnde, si honestatem ea metimur virtute, quae omnibus est colenda, ita ab honesta mercatura diuidenda erit sordida, vti vtramque diuisi. At seruandum est praeter propositam omnibus virtutem, viris principibus et senatoriis, consentaneum illorum dignitati decorum. In ea ergo republica, in qua adhaeret cuidam mercaturae, imminutae dignitatis opinio, sordidi sane sunt, viri principes et illustres, si ei se, neglecto ordinis decoro, immisceant. Ita vero intelligendus videtur CICERO, vir consularis praecipiens filio. Caeterum in republica mercatoria, nescio an possit rectius separari, mercatura quae viros illustres et nobiles decet, ab ea quae illos dedecet, quam separatur in legibus REIPVBLICAE IANVENSI A. MDLXXVI. latis. Capite III. v. LVNIGII Cod. Diplom. Ital. Tom. II. p. 2158.

XXXVIII.

Cohaeret priori alterum. Efficiendum, vt suscepta peragatur feliciter; vt facere possint ciues mercaturam, copiosam atque vtilissimam et facientibus et toti reipublicae.

 Eo ergo

Eo ergo dirigendus eſt commerciorum fauor, vt repriman-tur, tollantur, proſcribantur ex republica, quae commercia et capiendos ex illis fructus minuunt et impediunt; conſti-tuantur contra, conſeruentur, et augeantur, quae commer-cia eorumque vtilitates iuuant et amplificant. Late patet haec cura, poſſunt tamen eius partes ad tria redigi capita *). Prouidendum commerciorum LIBERTATI, SECVRITATI, COMMODITATI.

*) Ad duo capita curam hanc reuocauit MELONIVS: Cap. II. p. 29. *La plus grande des maximes et la plus connuë, c'eſt que le Commerce ne demande que liberté et protection.* Quum tamen ſit eorum qui commerciis fauent, vt non ſolum libertatem indulgeant, ſecurita-tem tueantur; ſed vt commoditatibus etiam et opportunitatibus pro-ſpiciant, quod omnium optime ipſe docuit MELONIVS; addidi tertium. Praebuit exemplum Ill. MASCOVIVS Diſſ. de Foederibus Commerciorum. §. IX.

XXXIX.

LIBERTATIS, prima eſto et praecipua cura. Si ea ſalua ſit, mercatores ipſi, deſtituti etiam a republica, ſatis ſaepe ingenioſi erunt, ſatis animoſi, ad paranda ſecuritatis praeſidia, ad prouidendas opportunitates. Ea vero ſublata, audentium ardor extinguitur, ſtudia preſſa diu tandem op-primuntur. *). Cauendum autem accurate et ſedulo, ne libertati confundatur licentia, quae ſolet ei eſſe finitima, vti vitia virtutibus. Eſt ſcilicet commerciorum libertas, poteſtas mutandi merces vti lubet, niſi quid publicae ſalutis cauſſa prohibeatur. Fauore ergo commerciorum, liberum eſto cui-que cum quibus vult commercium: liceat cuique quas vo-luerit merces permutare, emere, vendere, exportare, in-uehere: quo poteſt pretio, qua vult via: nec impediatur, prohibitionibus, exactione iniqua, priuilegiis excludentibus, nulla re alia: niſi quid in illis pugnet cum ſalute publica, adeoque iure prohibeatur. Salutis publicae rationes, a iuſti-tia non poſſe ſeiungi, nec in commerciorum cauſſa id licere vnquam, explanaui ſatis, quum de limitibus exponerem.

Salutis

Salutis vero publicae, ſuprema lex, non patitur vt liceat ciuibus, quod illam laedit. Id ergo in commerciis reprimendum, quod publicae ſaluti aduerſatur, et reprimi poteſt, ſine iuſto grauioris mali metu. Reliqua omnia libertati ciuium relinquenda. At repeto, quod me ſupra monere memini. Accurate in aeſtimandis publicae ſalutis praeſidiis et impedimentis, colligendae et ſubducendae rationes omnes, ne falſa eius ſpecie imminuatur libertas exceptionibus, commerciis, ipſique ciuitati noxiis. Monſtraui viam (XXIX.) Sed opus eſt bono publicarum vtilitatum ratiocinatore. In re dubia, et in qua in neutram partem deprimitur lanx, praeſtat dilatari libertatis fines, quam coarctari imprudenter.

*) Monet grauiter MELONIVS, Cap. II. p. 30. *Dans l'alternative entre la liberté et la protection il ſeroit bien moins nuiſible d'ôter la protection, que la liberté.* Idem tamen recte Cap. XX. p. 280. a licentia ſeiungit libertatem. Adde L'ESPRIT DES LOIX XX, 11. 12.

XXXX.

SECVRITATI COMMERCIORVM, respublica conſulit, ſi id efficit vt ab iniuſta vi et malis fraudibus tuta ſit, vtilis ciuitati negotiatio. Duplex ea eſt ſecuritas; externa alia, alia interna. Illa ciues a vi et fraudibus eorum qui extra ciuitatem ſunt praeſtat tutos: quo publica ſpectant belli et pacis negotia. Haec in ciuitate commercia a vi et fraude, legibus defendit, atque iudiciis. Vtriusque curam ſingularem fauor commerciorum reipublicae intime commendat, *) quoniam nulla vi et fraudibus grauior peſtis, nulla frequentior: quam niſi arceat et depellat a mercatura ciuitas, hanc et impediri ſemper, et ſaepius opprimi neceſſe eſt.

*) Quam valde pertineant ad rempublicam commercia, ad commercia, ſecuritatis externae atque internae cura, exponitur grauiter in praefatione regali DES ORDONNANCES DE LOVIS XIV SVR LE COMMERCE DONNE'ES A S. GERMAIN. cIↄ Iↄ CLXXIII. Egregie in Imperio Germanico vtrique prouidet INSTR. PAC. OSNAB. Art. IX. MONAST. §. 67. 68.

XXXXI.

XXXXI.

COMMODITATIS appellatione omnia denique comprehendimus, quibus commercii mutui facilitas et fructus augentur. Respublica enim quae commerciis fauet, omnia fauore suo complectitur, quae faciunt vt labor, ars et industria ciuium omnibus sit fructuosa, vt indigeant paucis, abundent multis, et merces cum ciuibus et peregrinis mutare possint facile et vtiliter, quae cura multas habet partes et paene infinitas.

XXXXII.

Facile ex his quae diximus intelligitur, commerciorum libertati, securitati et commoditati non posse prouideri, nisi ciuitas cum aliis gentibus aut pacem colat et amicitiam, aut ciuium commercia vi et armis si opus fuerit defendat; ipsa vero res domesticas ita ordinet, vt iuuentur quae commercia augent, reprimantur autem quae iis nocent. Is ergo, de quo generatim egi commerciorum fauor, diffundit se in negotia reipublicae omnia tum externa tum domestica; quid vero in singulis possit, quid efficiat, de eo in secundo tertioque libro disputabo vberius.

